



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

IV. De concursu causæ primæ cum principio creato liberè operante.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

liat: incipio ab illo, quod dicitur, prædeterminationem non requiri ad posse, sed ad operari. Prædeterminatio requiritur ad operationem, non vt constitutum illius, sed vt principium vt plures Thomistæ affirmant, vel vt applicatio principij, seu conditio; ergo pertinet ad constitutum actus primi proxime expediti ad operationem; agens enim esse in actu primo non solum dicit virtutem productivam effectus, sed applicationem, & omnes condiciones necessarias ad operandum, nec dicimus ignem esse in actu primo ad calefaciendum, ex eo solum quod habeat virtutem productivam caloris, sed ex eo, quod habeat virtutem applicatam, & non impediat ad producendum calorem: sic ignis existens Compluti, etsi habeat sufficientem virtutem ad calefaciendum quodque lignum, non dicitur esse in actu primo ad calefaciendum lignum existens Romæ, quia non habet sufficientem applicationem; ergo etiam si voluntas prædeterminata ad amorem habeat sufficientem virtutem ad odium, & prædeterminatio necessarii, nempe prædeterminatio ad odium, & quia habet inevitabile respectu odij, & omnino indispensabile impedimentum ad odium producendum, nempe prædeterminationem ad amorem cum eo essentialiter connexam, & consequenter cum odio impossibilem.

121 Est igitur eadē omnino difficultas, siue prædeterminatio sit applicatio virtutis, & potentia, siue sit virtus aut potentia, siue sit medium inter actum primum, & secundum, siue quid ad actum primum spectans, de quo cum Thomistis contendendum non est, cum sit certum requiri, vt potentia sit proxime expedita ad operationem iuxta sententiam, quæ illam defendit, & prærequirit ad operationem, & ita dicendum est prærequiri ad operationem, & requiri ad posse proxime expeditum operationis, quod includit virtutem effectus, & condiciones, & negationem omnium impedimentorum impossibilium cum effectu producendo, vt virtus possit in suum effectum erumpere.

122 Rem confirmet materiale exemplum: Pone hominem cum potentia ad ambulandum fortissimis catenis deinctum, nemo culpæ dabit huic homini, si non ambulet, & Ecclesiam non petat, quantumvis illi positum sit præceptum petendi Ecclesiam. Non quia non habeat potentiam ambulandi, hanc enim habere supponimus, sed quia illam impotentiam habet, nec sic impeditur, & impotens impedimentum auferre liber ad ambulandum ab homine sanæ mentis dicitur. Sic se habet prædeterminatus ad odium, qui etsi potentiam habeat ad amorem, quia illam impeditam physica prædeterminatione impossibili cum amore, & essentialiter connexa cum odio liber dicendus non erit ad amorem.

123 Dicunt nonnulli disparem esse rationem ex eo, quod voluntas sit potentia præcisiva, & virtus loco motiva in homine, seu potentia progressiva præcisiva non sit. Disparitas non est ad rem: voluntas catenus est præcisiva, quatenus potest respicere vnum obiectum, & vnum motuum, & non aliud, quod potentia progressiva non convenire fateor, sed hoc quid ad rem? cum omnia, quæ ad hanc difficultatem spectant sint paria, sicuti enim homo catenis deinctus ambulare non potest, sic voluntas prædeterminata ad odium, nec cum præcisione, nec sine illa potest amare, & sicuti voluntas prædeterminata ad odium retinet virtutem ad amorem, sic homo catenis vinculus retinet virtutem progressivam, & sicuti si homo à catenis sit absolutus, est liber ad ambulandum, sic voluntas ablata prædeterminatione ad odium, poterit amare, imo in hoc est disparitas, quæ magis argumentum contra aduersarios vrget, quod non sufficit voluntatem absolui à physica prædeterminatione ad odium, vt possit amare, sed requiritur post ablata prædeterminationem ad odium illam instrui prædeterminatione ad amorem vt possit amare, implicat enim amorem procedere à voluntate non prædeterminata ad illum.

124 Stat igitur potentiam liberam esse, quæ positis omnibus requisitis, siue per medium virtutis, siue per medium applicationis, seu conditionis ad operandum, vel per modum complementi ad actum primum potest operari, & non operari. Sic enim omnes Theologi illam definiunt absque vlla restrictione, nec dicunt potentiam liberam esse, quæ posita virtute, seu illa posita potest operari, & non operari, sed quæ positis omnibus requisitis ad operandum potest operari, & non operari. Alij dicunt potentiam liberam

esse, quæ omnibus eodem modo se habentibus potest operari, & non operari. Recole definitiones adductas ex autoribus citatis quos ad verbum refert Ripalda loco citato, & vniuersalem illam in omnibus requisitis, vel quid æquivalens in quacumque illarum reperies.

Sit vltima solutio nihilo præstantior alijs, quam tradit Aluarez disp. 22. de auxilijs n. 39. Suppositionem antecedentem tenentem se ex parte causæ vniuersalissimæ nempe Dei primæ causæ omnium effectuum bene posse necessario connecti cum effectu, & hunc liberum esse respectu voluntatis, secus autem quando suppositio se tenet ex parte causæ creatæ. Disparitatem assignat ex eo quod Deus propter suam infinitatem, & omnipotentiam, quæ est author voluntatis creatæ, potest illam immutare conformiter ad suam naturam, & mouere efficaciter, atque applicare ad producendum actum in particulari non solum secundum substantiam, sed secundum modum libertatis, quod non potest aliqua causa creatæ, quia finita est, & limitata, atque inferior ipsa voluntate.

Non nego: Deum ita posse mouere, & applicare voluntatem ad actum infallibiliter eliciendum, quod non potest alia causa creatæ; verumtamen hoc præstare potest Deus per media indifferentia data ex præuisione consensu conditionati, quæ proportionata sunt ad finem à Deo intentum infallibiliter obtinendum, non vero per media improporionata essentialiter destructiua finis à Deo intenti, nempe libertatis in actu humano reperiende, sicuti esse intendimus physicam prædeterminationem essentialiter connexam cum actu. Dicere autem physicam prædeterminationem essentialiter connecti cum actu libero assertio est inuoluens duplex contradictorium, nam eo ipso, quod prædeterminatio talem connexionem habeat actus ab illa procedens non potest non esse, & vt sit liber in ratione liberi dicit essentialiter posse non esse.

Impugnatur etiam solutio, quia dum id quod antecedit voluntatem, intrinsecè est connexum cum actu, & cum eo non potest actus esse, eadem proliis ratione se habet in ordine ad libertatem impediendam, siue se teneat ex parte causæ increatæ, siue ex parte causæ creatæ, vt constat ex discursibus adductis. Constat etiam ex definitione libertatis in qua habetur *postis omnibus requisitis* absque vlla distinctione eorum, quæ requiruntur ex parte causæ increatæ, vel creatæ.

Adducit Aluarez in confirmationem doctrinæ suæ distinctionis reuelationem actus liberi futuri quæ essentialiter connectitur cum obiecto reuelato, illudque antecedit, & nihilominus libertatem non destruit, vt contigit in reuelatione facta à Deo de trina negatione Dni Petri. Resp. faciliè hanc reuelationem tantum tempore antecedere, non naturæ, ideo enim reuelauit Christus peccatum Petri, quia futurum erat, non vero Petri peccatum fuit prius futurum, & postea existens, quia Deus reuelauit, ex suppositione autem quod Petrus esset peccaturus, præiudicauit Christus peccatum Petri futurum, & ex hac præuisione illud reuelauit. Neque asserimus id, quod sequitur per necessariam consequentiam ex præcedenti successu durationis necessarium, & inimpedibile esse, quod merito Louanienfes damnarunt in Petro de Riio, cuius historiam diligenter inquisitam refert Eminentissimus Cardinalis de Lugo disp. 26. de incarnatione sect. 6. n. 7. & ex illo Paulus Leonardus parte 3. sect. 8. n. 38. Hoc notauit pro Magistro Ioanne à Sancto Thoma qui 1. part. tom. 1. dist. 20. art. 6. prope finem refert ex Fratre Thoma de Lemos Sextum quartum damnaſſe Petrum quemdam de Riio Louanienſem propter propositionem, quæ adstruebat, *Præsupposita aliqua suppositione antecedenti, ex qua infallibile est hominem operari, tolli liberum hominis arbitrium, quod alienum à veritate est, vt legenti Cardinalem de Lugo loco citato manifestè constabit. Lege Paulum Leonardum loco citato & Ripaldam tom. 2. disp. 113. qui similes fabellas, & narratiunculas inter vulgus sparsas castigant.*

PUNCTUM IV.

De consensu causæ primæ cum principio creato liberè operante.

Statuimus omnem causam creatam dependere à prima in operando; ita, vt nullam possit exercere actionem principium

principium creatum causa increata illud non comitante. Occurrit modò gravissima difficultas: quomodo scilicet possit hæc dependentia cum libertate componi: quam ex professo aperiam, & ex viribus solvam.

§. I.

Difficultas expenditur.

2 **C**ausam primam non operari necessariò, neque cæco modo cum secunda; sed liberè supponendum est, non probandum libertatem sine actu voluntatis incedere non posse tota testatur philosophia. Ex quibus principiis hæc in præsentibus suboritur difficultas: causa prima liberè operatur cum secunda: ergo ad operationem causæ primæ secunda supponitur actus voluntatis, quo velit operari: ergo ad concursum voluntatis identificatum cum concursu causæ primæ supponitur decretum Dei volentis ad illum concurrere: ergo actus voluntatis non procedit à principio indifferenti. Probo hanc consequentiam: procedit à decreto volentis ad illum concurrere: hoc decretum necessariam habet connexionem cum concursu: ergo procedit actus à principio necessario cum illo connexo: ergo non à principio indifferenti: ergo non procedit liberè.

3 Nec poteris ad necessitatem consequentem recurrere: quia necessitas orta ex principio nullo modo supponens effectum, non est consequens, sed antecedens: sed hæc necessitas oritur ab actu voluntatis, quo Deus vult cum voluntate concurrere: qui necessariò supponitur ex parte principij ad actum: ergo hæc necessitas non est consequens, sed antecedens. Si dixeris decretum hoc, quod ex parte Dei supponitur ad actum non habere connexionem necessariam cum illo, difficile erit hoc explicare decretum. Quia decretum efficax, quo Deus dicit, volo concurrere non potest non effectum fortiter alius Deus non faceret id, quod efficaciter decerneret. Voluntas verò inefficax concurrendi sufficiens non est, vt Deus determinetur ad concursum: quia talis voluntas non respicit obiectum, vt exercendum, & illa posita manet Deus æquè indifferens, & indeterminatus ad concurrendum, & non concurrendum, ac si illam non habuisset.

4 Alio modo difficultatem huius concursus expendo: Voluntas creata non potest suum elicere actum sine concursu Dei liberè se determinantis ad concurrendum: ergo Deo, non se determinante non potest actum elicere: sed quando voluntas non operatur, Deus non se determinat ad concurrendum cum illa: ergo quando non operatur, non potest operari. Maior est certa: Minorem probo: quando voluntas non operatur, Deus non operatur cum voluntate: ergo non determinatur ad operandum. Patet consequentia: implicat Deum determinari ad operandum, & non operari: ergo si non operatur, signum est evidens, non se determinare ad operandum. Maiori, & minori primi syllogismi concessis, consequentiam corrobore: volūtas operari non potest deficienti aliquo necessario requisito ex parte actus primi ad operationem; sed quando non operatur, deficit determinatio Dei volentis concurrere, necessariò requisita ad operationem: ergo quando non operatur, non potest operari.

§. II.

Solutio P. Vasquez expenditur.

5 **P**ater Vasquez 1. part. disp. 99. c. 7. n. 43. sic rem componit. Docet decretum Dei concurrendi supponere scientiam Dei, non quidem obiecti, vt absolutè futurum est, hoc enim Dei prædefinitionem supponit: sed eius, quod sub conditione cognoscitur, cuius præscientia omnem prædefinitionem antecedit. Cognoscit enim Deus: si Petrus tali vocatione præueniatur, & illi non desit meus concursus, actum elicit. Postea illum tali vocatione præuenit: & hæc posita decernit cum illo concurrere. Quod decretum, etiam si necessariam habeat connexionem cum effectu, tantum includit necessitatem consequentem, quia supponit iam ipsum consensum sub conditione futuri. Similiter agnoscit Deus: si Petrus tali cogitatione vocaretur, ille mihi deesset, & ideo non deberem illi cooperari: quia cognitione posita potest Deus non velle operari cum illo. Ex quo tantum inferitur negatio actus necessitate consequenti: quia ipsa supponitur sub conditione futura ante negationem concursus Dei. Sic docet, hæc scientia præmissa, iura liber-

tatis illæ manere; sine qua nullo modo posse subsistere testatur, quia necessitas determinationis esset antecedens, cum libertate incompotibilis.

Primò mihi difficultatem ingerit obiectum illud scientiæ conditionatæ. Si Petrus tali cognitione præueniatur, & illi non desit meus concursus, quia non deesse concursum idem est, ac esse concursum: ergo obiectum scientiæ erit, si Petrus vocetur, & fuerit meus concursus, operabitur: ergo est idem, ac dicere: Si Petrus vocetur, & fuerit illius concursus, operabitur. Probo consequentiam: Concursus Dei, & concursus Petri est idemmet indissolubilis: ergo id est dicere: si fuerit concursus Dei, erit concursus Petri; ac dicere: si fuerit concursus Petri, erit concursus Petri: ergo hæc scientia Dei in Deo ponenda non est, neque utilis esse potest. Secundò obiectum illud, quod assignat Vasquez hominis non consentientis, scilicet, si tali vocatione vocaretur, ille mihi deesset, vel includit ex parte conditionis concursum Dei, vel non includit? si includit: ergo illo posito Deus deesse non potest: si non includit: ergo non qualis ponitur conditio secundum requisita ad operandum, in consensu, & in non consensu: ergo quod alius præiudicatur consensurus, & hic non consensurus, non debet tribui illorum libero arbitrio, sed diversitati conditionum, quæ supponuntur in vno enim supponitur ex parte conditionis, cogitatio, & concursus: in altero verò cogitatio sine concursu.

Mitius gravissimum Patrem interpretor, & obiectum scientiæ ab illo assignatum sic intelligo: si Petrus tali vocatione alliciatur, & non desit meus concursus per modum actus primi, hoc est, quod ex me necessarium est per modum actus primi ad concursum, Petrus liberè consentiet. Quæ conditio, sic explicata, eodem modo potest poni in homine non consensuro: & tunc negatio consensus non conditionis, sed homini liberè se non determinanti imputabitur. Sic Vasquium intelligendum puto: aliàs scientia ab illo assignata, scientia non esset, sed negatoria quædam terminorum repetitio, non solum in Deo non admittenda, sed à quocumque non fatuo releganda.

Contra sententiam Vasquez sic explicatam, adhuc sunt nonnulla obicienda. Vt videatur consensus sub conditione futurus ex parte conditionis, debent supponi omnia illa, quæ necessariò supponit in statu absoluto, & sine quibus in illo esse non potest, quod per se patet: quia consequens non esset absolutè si deficeret aliquid ex necessariò requisitis, vt sit: ergo si non essent omnia requisita, consensus non esset: ergo vt consensus esset necessariò essent futura omnia requisita ad illum: ergo, vt cognoscatur sub conditione futurus, necessariò debent cognosci ex parte conditionis omnia, quæ ad illum requiruntur: quia non potest cognosci sub conditione futurus, sine aliquo, sine quo futurus non esset. Quæ ratione rectè docent Theologi, easdem causas requiri in statu conditionato ad effectum conditionatum, ac requiruntur in statu absoluto ad absolutum effectum. His positis sic argumentor.

Vt videatur consensus sub conditione futurus, debet videri sub conditione dependens à decreto Dei, à quo in statu absoluto necessariam habet connexionem: ergo non potest videri liberè, sed necessariò futurus in illo statu conditionato. Probo consequentiam: in illo statu videtur dependens, à conditione quæ necessariam connexionem habet cum illo: ergo sub illa conditione non potest videri contingenter, sed necessariò futurus. Probo antecedens: in illo statu videtur dependens à decreto efficaci: sed decretum efficax Dei habet necessariam connexionem cum effectu: ergo videtur dependens à conditione habente cum illo necessariam connexionem. Vltima consequentia est legitima, quia quod dependet à principio ad vnum determinatum, necessariò procedit ab illo; & non liberè, neque contingenter. Neque potest dicere, decretum non habere necessariam connexionem in statu conditionato cum causa: quia P. Vasquez fatetur decretum in statu absoluto habere connexionem cum effectu, quem vult supponi conditionatè, ne connexio decreti cum effectu inducat necessitatem antecedentem cum voluntate: ergo eandem connexionem habet in statu conditionato, eodem enim modo, quo effectus dependet in statu absoluto à causa absolute existente, eodem dependet in statu conditionato à causa conditionatè existente: & idè est necessaria hæc conditionalis: si ignis est applicatus, calefacit: quia hæc absoluta est necessaria: ignis est applicatus: ergo calefacit. Demum

Demum, si dicas decretum concurrenti non habere in statu absoluto necessariam connexionem cum effectu, ad quid recurrit Vasquez ad statum conditionatum, & cognitionem illius? hanc enim erit impertinens, ut voluntas posita hoc decreto maneat libera, cum ex positione illius nihil ponatur inducens necessitatem effectus, ex principio enim indifferenti nunquam potest oriri effectus antecedenter necessarius.

10 Vltimus virgo: Videatur consensus sub conditione liberè futurus, quin decretum videatur ex parte conditionis adhuc ita præsumum decretum in statu absoluto in illum influens, necessitatem inducere quia ex eo, quod consensus præsumus fuerit liber in statu conditionato sub his conditionibus, non inferitur liberè futurum in statu absoluto, variatis in hoc statu ex parte actus primi illis, quæ supponebantur in statu conditionato ex parte actus primi, seu ex parte conditionis: ergo si consensus in statu conditionato non fuit dependens à decreto liberè præsumus, postea cum in statu absoluto ab hoc dependeat, poterit necessariò dependere. Rem explico: nōcēt Deus, me liberè consensurum, si tali cognitione præueniar, & omnipotentia sit parata ad concurrentem mecum: supposita hac cognitione postea producit physicam prædeterminationem, vñonem hypostaticam, vel visionem beatificam compellentem ad actum, & impossibilem cum negatione illius, idē ergo his positis liberè consentiam, quod præsumus fui illis deficientibus liberè consensurus? Minime: quia non tenet consequentia ab statu conditionato ad absolutum rebus diuerso modo se habentibus, & positis diuersis principiis in vtroque statu.

11 Clarius patet eadem ratio in negatione concursus: scit Deus me liberè non consensurum, si habeam omnia requisita ab consensum. Si posita hac scientia in statu absoluto, Deus non purificat conditionem, & mihi non tribuit omnia necessaria ad consensum, non dicar ego liberè non consentire; aliā possem dicere liberè non amare Deum, quando nullam habeo cogitationem inclinantem ad amorem, quia præuidet Deus, quod si illam haberem, liberè non consentirem: ergo si in statu absoluto Deus non habet decretum sufficiens ad consensum mihi præstandum, quidquid viderit in statu conditionato, non liberè omittat consensum, æquē enim necessarium est ad meum consensum decretum Dei, quo velit mihi concurrere, ac cogitatio, qua obiectum cognoscam: ergo si Deus non habet decretum, sine quo meus actus esse non potest, illius omisso non est libera; sed in opinione Vasquez ex prævisione illius conditionati Deus non habet decretum necessarium ad meum consensum, quando de facto non concuro; ergo non liberè, sed necessariò omitto.

12 Nonnulli Vasquium intendunt defendere, afferentes Deum cognoscere intendenter à suo decreto hoc obiectum: si hanc voluntatem haberet hanc vocationem, & non dependere à me in operando de facto operaretur: quia posita scientia, & purificata conditione, Deus absolute decerneret concurrere: quia iam vidit consensum, quatenus est ex parte voluntatis præcedentem decretum absolutum concurrenti. Dissiplet hac doctrina: quia consensus per eandemmet indiuisibilem entitatem dependet à voluntate, & à Deo: ergo non potest videri futurus in aliquo statu quatenus dependet à voluntate, quin videatur in eodem quatenus dependet à Deo. Deinde: quia data illa conditionali, quod voluntas cum hac cognitione liberè operaretur, si non dependeret à Deo, non sequitur modò cum dependet, liberè operari: non enim valet consequentia: voluntas independens à Deo liberè operaretur cum hac vocatione, sine decreto Dei concurrente: ergo voluntas dependens à Deo, cum eadem vocatione liberè operabitur cum decreto Dei concurrente. Quia rebus diuerso modo se habentibus diuersum modum operandi habebit voluntas.

13 Vltimò: non acquiesco doctrinæ Vasquez afferentis, decretum hoc absolutum circa opera nostra, illa non præcedere supposita scientia conditionata, quæ hac ablata necessariò præcederet. Quod sic impugno: decretum nostra opera præcedere, nihil aliud est, quàm esse natura prius illis, & veram causam illorum; sed hoc decretum supposita scientia, est causa, & prius natura consensui absoluto: ergo illum præcedit omni præcedetia, quam haberet ablata scientia, quia hæc nulla alia esset, quàm præcedentia causæ ad effectum. Ex hoc aliud desumo argumentum. Posita scientia, & ablata scientia eodem modo præcedit de-

cretum consensum absolutum, & eandem connexionem habet cum illo: ergo posita scientia, & ablata scientia eandem connexionem inferit in voluntate, vel illam cum eadem indifferentia relinquit. Eandem rationem expendo: cognitio Dei per se formaliter loquendo tantum potest inducere necessitatem voluntati, vel illius libertatem arguere, quatenus ex illa sequitur, vel non sequitur tale auxilium, vel tale decretum, vel tale comprincipium, seu talis influxus respectu effectus; ipsa enim per se formaliter, neque potest necessitatem inducere, neque liberam voluntatem constituere: ergo si poneretur idem decretum cum eisdem principiis respectu effectus, eadem esset necessitas, seu libertas respectu illius, posita in Deo scientia conditionata, vel negata: ergo decretum illud ablata scientia necessitatem non induceret, si illam non inferret scientia posita.

14 Dices decretum illud semper præcedere actum voluntatis; posita tamen scientia non præcedere voluntatem, sed ipsam ad actum comitari; ac proinde dici comitans respectu voluntatis. Hic modus loquendi, licet non terminis adeò expressis, multis est familiaris, & paucis vtilis; quia id quod destruit libertatem, non est quod antecedit voluntatem determinatè; sed quod antecedit determinationem illius: ergo si hoc decretum est antecedens respectu actus, & necessariam connexionem habet cum illo, antecedit determinationem voluntatis; cum qua habet connexionem: & ita determinatio est necessaria in causa, quæ necessitas opponitur cum libertate. Neque potest dari aliud quod principium respectu actus, quantumvis prædefinitum, quod non sit comitans respectu voluntatis: quodcumque enim sit, voluntatem comitabitur ad producendum illius actum qui à nullo principio, voluntate non concurrente, produci potest.

15 Vltimò: si propter aliquam rationem decretum illud induceret necessitatem consequentem, & non antecedentem, esset, quia ante illud supponebatur consensus sub conditione futurus; sed eodem modo supponeretur, etiam si Deus illud non cognosceret in omnibus casibus in quibus illum cognoscit: ergo si modò non tollit libertatem, neque tunc illam auferret. Maiorem admittunt aduersarij: minor probatur, quia ablata scientia Dei, illius obiectiua veritas permaneret: ergo permaneret consensus sub conditione futurus: ergo supponeretur ad decretum eodem modo, ac si à Deo cognosceretur.

16 Respondebis, consensum sub conditione futurum supponendum esse in omnibus casibus, in quibus posita scientia supponitur: fore tamen illa ablata plures casus, qui positi non sunt in quibus ille consensus supponeretur; quia sæpe haberet decretum concurrenti, quando voluntas ex se non esset consensura. Contrà: ex hoc sequitur decretum notitium libertati in casibus, in quibus consensus non supponitur; non verò in illis in quibus supponitur, & in quibus esset scientia.

17 Alio modo posset responderi, ablata scientia, nunquam supponi consensum sub conditione ad decretum absolutum; quia supponi ad hoc dicit esse aliquo modo causam illius; quod habet media scientia, ad quam consensum supponitur tanquam obiectum; & quæ supponitur ad decretum tanquam proponens obiectum, ex cuius prævisione mouetur Deus ad tale decretum ponendum quod ablata tali scientia ex vi præsentis motui non poneretur. Casu autem, quo Deus poneret decretum concurrenti sine hac scientia; etiam si tunc esset consensus sub conditione futurus, tantum esset concomitanter respectu decreti, & nullo modo supponeretur ad illud neque aliqua prioritas intercederet inter consensum conditionatum, & absolutum decretum.

18 Fateor, in hoc sensu scientiam conducere, ut consensus conditionatus præcedat decretum absolutum concurrenti; sed nihil longius à mente Vasquez, quàm hic philosophandi modus; neque sufficiens est, ut dicamus decretum voluntatem liberam relinquare, si independentem ab hac præcedentia illi violentiam inferret; quia hæc causalitas, quam haberet consensus conditionatus, neque hæc præcedentia naturæ, non tolleretur præcedentia & prioritas, quam habet decretum absolutum respectu consensus conditionati, neque connexionem inter decretum & consensum, ex quibus necessitas consensus necessariò oritur.

§. III.

Sententiam P. Didaci de Alarcon expono, & explodo.

- 19 **P**ater Alarcon tract. 2. de scientia Dei, disp. 5. cap. 8. refert sententiam Suar. Molin. Less. & Her. qui componunt concursum generalem Dei cum causa prima, per decretum quoddam antecedens, quo efficaciter decernit Deus concurrere cum causis secundis, iuxta uniuscuiusque naturam: cum Sole ad illuminandum: cum libero arbitrio ad amandum, vel odio habendum. Afferitque Suarium explicare hanc sententiam, per decretum quoddam conditionatum, quo Deus non absolute decernit amorem, vel odium; sed amorem, & odium conditionatè, & dependentè à voluntate. Hanc sententiam sic explicatam impugnatur, quia decreta conditionata in Deo reperiri nequeunt. Deinde, quia nullum potest reperiri connotatum externum talis decreti constitutum; neque decretum aliquod potest esse sine constitutiuo speciali.
- 20 Non leue fundamentum dedit Suarius, ut Alarcon putaret ipsum constituit decretum hoc conditionatum, & non absolutum, quia in opusculis lib. 1. de concursu Dei cum voluntate, cap. 15. num. 3. dixit Deum decernere concurrere cum voluntate, non absolute, sed dependentè ab illa includendo in decreto implicitam conditionem, si ipsa consentire voluerit. Et in Met. disp. 22. sect. 4. n. 14. dixit, per illud decretum Deum non absolute velle, ut causa libera actum eliciat; sed quasi subintellecta conditione velle illum actum, quatenus est ex se. Si tamen attentè Suar. legatur numquam docuit tale decretum esse conditionatum; sed illud per modum decreti conditionati explicuit. Quod denotant illa verba: *quasi subintellecta conditione*. Et Herice tom. de scientia, disp. 6. c. 4. n. 49. docuit, decretum hoc conditionatum falsò aduersarios impegisse nostris auctoribus; qui bene norunt non posse conditionatum constitui. Impugnationem aliam, quam adducit Alarcon contra hoc decretum ex defectu connotati, quod non potest esse respectu decreti indifferentis ad amorem, vel ad odium, non opponere, sed soluere debebat, ipse enim in sua sententia explicanda incidit in decretum, quod impugnauerat; neque Suarium posset hoc telo imperere, negantem nouum decretum Dei nouo indigere extrinseco connotato.
- 21 Venio iam ad explicandam Alarconij sententiam. Docet, causam creatam indigere extrinseca assistentia omnipotentis, quā constituatur potens completè elicere suos actus; & hanc assistentiam non esse entitatem intrinsecam Dei. Quas conclusiones efficaciter probat §. 2. Addit §. 3. num. 32. hanc assistentiam non esse decretum conditionatum, neque decretum aliquod efficax cōcurrendi cum causis secundis, si non addit impedimentum. Rursus non esse decretum aliquod efficax absolute prædefiniens actus liberos, vel necessarios; neque decretum aliquod, quo indifferenter velit concurrere ad vtrūque extremum; neque decretum, quo prius natura velit concurrere cum causa secunda ad effectum ab vtraque indiuisibiliter producendum. Tandem docet n. 33. hanc assistentiam esse obligationem quamdam morale ortam ex aliquo decreto, quo Deus se voluit obligare ad concurrendum cum causis secundis, iuxta illarū propensionem, inclinationem, vel libertatem. Quod decretum nobis constat ex reuelatione Dei; & efficax dici potest respectu effectus, quatenus ex illo oritur aliud decretum, quo Deus hic, & nunc concurrat cum qualibet causa ad suos effectus, iuxta illius inclinationem, vel libertatem.
- 22 Decretum secundum ortum ex primo explicat n. 40. vbi asserit inclusum esse in promissione, qua Deus se obligauit concurrere, & esse quasi indifferens, quo (illius sunt verba) *in actu primo applicatur, & assistit proximè virtuti diuina indifferenter ad amorem, & odium, cum subordinatione ad voluntatem creatam, in cuius potestate, & non iam in Dei, est amor, vel odium, & propterea ipsi, & non Deo tribuitur negatio amoris, vel odij*. Hoc explicat exemplo habitus mulicæ concurrentis ad illos actus, ad quos voluntas illius determinat.
- 23 Nonnihil in hac sententia reperio, nescio an satis consequenter dictum. Negauerat enim §. 3. n. 32. assistentiam consistere in decreto indifferenti concurrendi ad amorem, vel ad odium, & postea docet hoc decreto ortum ex illo priori immediate applicari omnipotentiam causæ secundæ. Insuper §. 1. n. 9. dixerat nullum esse connotatum extrinsecum respectu decreti indifferentis ad amorem, vel

ad odium, quia omne connotatum vel est amor; & tunc erit connotatum decreti amoris: vel odium, & connotabit decretum odij: Odium autem, vel amor vagè non dantur in rerum natura; ac proinde non posse dari connotatum talis decreti: sed sic est, quod modò assignat ipse decretum aliquod, per quod omnipotentia immediate assistit voluntati indifferens ad amorem, vel odium: ergo debet ipse assignare connotatum, quod dixerat inueniri non posse.

Deinde asserit, posito hoc secundo decreto, iam non esse in voluntate Dei, ut sit amor, vel odium; sed totum hoc à voluntate dependere: ergo docet ex eodem decreto Dei posse oriri amorem, vel odium, & antecedenter esse indifferens ad vtrūque effectum: quod ipse eodem capite n. 12. contra Herice impugnauerat. Alarconis accipe verba: *Hæc tamen sententia supra impugnata est. Quia alius amoris non elicitur determinatè per decretum illud indifferens ad amorem, & odium; sed per decretum aliud ad amorem determinatum, & non ad odium: quis enim dicit actum, quo B. Petrus dilexit Deum supra omnia, processisse à Deo per decretum, quo decreuit non magis amorem suum, quam adium fieri à B. Petro?*

Redeo ad primum illud decretum, quo Deus ex promissione se obligauit ad habendum aliud, quo immediate assistit causis secundis. Refert pro conclusione, qua tale decretum statuit, Suar. disp. 22. Metaph. sect. 4. n. 3. & Herice disp. 6. citata, n. 49. & 50. & Ruffum de scientia Dei, disp. 25. sect. 10. immeritè tamen: Quia Suarez nullum decretum assignauit, ex quo aliud oriatur; sed expressè docuit, per decretum illud indifferens immediate applicari omnipotentiam, & nulla alia motione indigere ad effectum producendum: neque dari decretum aliud, quod sit causa effectus producti: ita n. 14. & 30. quod fatetur ipse Alarcon §. 1. n. 5. vbi refert Suarez, asserentem ad concursum determinatum amoris non requiri aliud decretum, præter illud indifferens, ex vi cuius ponitur amor dependentè à voluntate. Eandem conclusionem refert ex Herice, quem impugnatur, ergo non consequenter, neque ad mentem illorum refert hos auctores pro illo decreto, quo Deus se obligat ad aliud postea habendum, quo immediate applicet suam omnipotentiam. Neque apud Ruicium verbum inuenies de decreto, quo Deus ad aliud habendum se obligat; sed tantum asserit Deum parare suam omnipotentiam, per decretum indifferens, ad amandum, vel non amandum, & odio habendum.

Tandem decretum hoc, quo Deus se obligat ad concurrendum cum causis secundis, tanquam superfluum ad concursum causæ primæ, & ad libertatem causæ secundæ relegandum est. Quod sic probat: Decretum, quo immediate omnipotentia applicatur, non est decretum hoc, quo Deus se obligauit ad concursum præbendum; sed aliud ortum ex isto, immediate produciens effectum dependentè à voluntate: ergo hoc decretum tantum conducit ad assistentiam omnipotentiam, quatenus obligat Deum, ut illi immediate assistat per secundum decretum, quod infert, & quod est formalis, & immediata applicatio. Sed potest Deus habere decretum liberè se ad illud determinans, sine vlla obligatione præcedenti: ergo necessaria non est præcedens obligatio, & superfluit decretum illam inducens, ut Deus immediate assistat causæ secundæ. Posse Deum habere secundum hoc decretum independentè à priori, existimo à nullo posse negari, quia quidquid Deus liberè promittit, potest liberè sine promissione præstare. Neque potest assignari ratio, propter quam decretum Dei circa effectum producendum, connexionem habeat necessariam cum promissione illud præcedente.

Respondet Alarcon num. 42. casu, quo Deus haberet secundum decretum sine primo, ita cum voluntate tali casu concursurum, ut posset non concurrere, quia nullo decreto antecedenti suam fidem obstrinxerat, ne à concursu abstinere. Fator ego, tunc Deum posse concursum suspendere, & creaturis non assistere, quod nequit supposita promissione infallibili. Verumtamen hoc nihil refert, dum de facto concurrat: si enim Deus habet decretum concurrendi mecum dependentè à mea libertate, dum illud habeat, quid mea, si hoc decretum immediate in se formaliter sit liberum, vel tantum in promissione: vel quid refert antecedenter potuisse non esse, quando est de facto ad effectum, quem præstat per suammet entitatem, quæ eadem est promissione illud præcedente, vel non præcedente? Ex quo, argumentum desumo contra priorem partem solutionis, videlicet illo decreto non fore omnipotentiam applicatam: quod sic efformo. In sententia Alarconis applicatio

applicatio immediata omnipotentia consistit in hoc secundo decreto concurrenti dependente à voluntate, & non in illo primo ad hoc determinatè: ergo permanente hoc secundo decreto, permanet eademmet immediata, & formalis applicatio, etiam si deficiat primum illud, obligationem ad applicationem inducens.

28 Vergeat applicatio in actu secundo omnipotentia ad voluntatem, est Deum mecum concurrere ad amorem dependenter à mea voluntate, & applicatio in actu primo est decretum, quo Deus ita mecum concurrat, vel non concurrat, ut pro me stet concursus, & negatio illius; ita ut ego possim concurrere, vel non concurrere: sed posito hoc secundo decreto, & me consentiente erit actus amoris, ita ut potuerit non esse: & non consentiente, ita erit negatio consensus, ut ego potuerim consensus elicere: ergo posito hoc decreto erit applicatio causæ primæ in actu secundo, quocumque alio secluso. Sola minor indiget probatione, quam exhibeo: decretum est de concursu dependente à mea voluntate: ergo illo posito, concursus dependet à mea voluntate: ergo me volente, erit concursus, & causa prima erit applicata in actu secundo, & renuente non erit, & potui facere, ut esset, & erit applicata omnipotentia in actu primo.

§. I V.

Explicatur propria sententia.

29 Dicendum est primò, voluntatem indigere extrinseca applicatione omnipotentia, promptè ad concurrendum cum illa. Hanc conclusionem docent omnes Theologi: & ratio illius facilis est, omnibusque communis. Voluntas non potest operari independentem à causa prima & necessario indiget concursu Dei simul cum illa concurrentis ad effectum, quem concursus potest Deus denegare, sicut illum denegavit igni Babylonico: ergo, ut voluntas possit operari, necessum est omnipotentiam applicari ad concursum præstandum.

30 Dicendum est secundò, hanc applicationem non consistere in infinitate, neque in immanitate, neque intima præsentia Dei cum creaturis. Probo clarè: Hæc omnia sunt in Deo summè necessaria, & deficere nequeunt: sed applicatio omnipotentia ad operandum cum causa secunda est libera, & potest deficere: ergo applicatio omnipotentia distinguitur ab his omnibus.

31 Dicendum est tertio, hanc applicationem non consistere in eo præcisè, quod Deus nullum habeat decretum prædefinitum concurrenti, vel non concurrenti independentem à voluntate: sed necessario importare actum positivum voluntatis Dei. Moueor ad hoc: quia licet sufficienter consultum esset voluntati, si Deus ex natura sua eo ipso, quod sit auctor naturæ, consideretur determinatus ad concurrendum cum voluntate dependente ab illa, quotiescumque oppositum non decreverit, & concursus hoc modo edictus esset, libertati humanæ attemperatus, & liber respectu Dei potentis actu positivo voluntatis illum impedire: nihilominus talis modus concurrendi in Deo ponendus non est, quia ad Dei providentiam spectat, ut omnis effectus productus fiat, non tantum non repugnante voluntate divina sed illa positivo determinante, & volente productionem effectus. Ratio est: quia omnis effectus debet esse positivè dependens à voluntate divina, & non tantum negativè, tanquam à non impediende. Quia hæc dependentia non est propria, & per se; sed per accidens; neque effectus ita dependens est voluntarius respectu Dei neque in se, neque in causa; spectat autem ad divinam, & perfectissimam providentiam, ut nihil producat in rerum natura, quod non dependeat ab actu voluntario Dei, volentis ita fieri.

32 Dicendum est quartò: assistentiam omnipotentia divina, qua voluntas constituitur potens liberè amare libertate contradictionis, vel contrarietatis, nullo modo dicere decretum aliquod conditionatum ex parte obiecti, quo Deus dicat, *volo concurrere cum voluntate, si ipsa voluerit*. Probo hanc conclusionem: Deum cum voluntate concurrere, & voluntatem velle elicere actum, sunt eademmet indivisibilis entitas; quia concursus Dei, & voluntatis non distinguuntur: ergo idem erit dicere: *volo concurrere meum, si voluntas voluerit concurrere*, ac dicere: *volo concurrere voluntatis, si fuerit concursus voluntatis*: seu: *volo*

Franc. de Guiedo, Philosoph. Tom. I.

meum concurrere, si fuerit meus concursus: & idemmet indivisibilis concursus poneretur ex parte conditionis antecedentis, & ex parte consequentis: ergo tale decretum erit nugatorium, & ineptum, & à quocumque cordato relegandum.

33 Dicendum est quintò, assistentiam omnipotentia qua voluntas constituitur potens liberè elicere actum amoris libertate contradictionis, non importare decretum aliquod indifferens ad amorem, & odium; sed decretum quoddam terminatum ad amorem producendum dependenter à voluntate, indifferens ad amorem, & negationem illius; Quo decreto Deus dicat, *volo quatenus est ex me, ut sit actus amoris*: ita tamen illum decerno, ut voluntas possit ab illo cessare. Quia licet ex me vellem esse talem actum; non illum efficaciter decerno, independentem à voluntate, ne illius eadem libertatem. Priorem partem huius conclusionis admittent omnes quia ad hoc, ut voluntas possit liberè amare libertate contradictionis, necessum non est, imò omnino impertinens assistentia omnipotentia ad actum odij; quia libertas contradictionis ad amandum, solum dicit posse amare, & non amare, non verò posse odio habere.

34 Secundam partem conclusionis probabo: quia ad hoc, ut voluntas sit potens amare, requiritur applicatio omnipotentia per actum positivum voluntatis Dei; sed nullus potest excogitari sufficiens ad constituendam voluntatem completè potentem, ita attemperatus illius libertati, & conformis divina providentia: ergo in hoc, & non in illo constituenda est extrinseca assistentia omnipotentia ad voluntatem. Minorem probabo per singulas illius partes: tale decretum constituit omnipotentiam ita addictam, & determinatam ad concurrendum cum voluntate, ut illo posito non potuerit non concurrere: ergo constituit voluntatem completè potentem actum producere. Secundò: decretum nullo modo nocet libertati; quia per illud non Deus decernit actum voluntatis independentem à voluntate, neque ex vi illius necessariò ponetur actus voluntate absolute non determinante; sed talis est naturæ, ut adhuc in sensu composito componi possit cum negatione actus: neque enim ex se est determinatus ad efficiendum actum, sed indifferens, ut illum eliciat, vel non eliciat, licet determinatè actum respiciat, sicut cogitatio determinatè respicit obiectum amandum, & inclinat ad amorem, & cõponi potest ex natura sua cum negatione talis amoris. Idem postea dandus explicuit Lessius ab omnibus laudatus exemplo habitus charitatis concurrentis ad actum secundum determinationemque voluntatis, illam semper indifferenter relinquentis ad actum, & negationem illius: ita omnipotentia per hoc decretum, quo dicimus applicari voluntati, illi subditur instar habitus cum indifferentia ad actum, & negationem eiusdem.

35 Tertio: decretum hoc esse consonum summæ Dei optimi maximi providentia; sic ostendo. Hoc decreto ita fertur Deus in actum bonum, ut quatenus est ex se, vellet illum absolute futurum, & non illum vult ita absolute independentem à voluntate, ne illi necessitatem inferat: ergo ex una parte Deus suam libertatem illasam voluntati relinquit; & ex alia salva libertate, quasi bonum actum procurat, & ponit id, quod necessum est, ut talis eliciatur actus, & ostendit suam infinitam bonitatem, qua in hominibus quidquid honestum, & sanctum est, intendit, atque procurat.

36 Dicendum est sexto, decretum hoc, quo Deus assistit creature, ad actum amoris (idem intellige de quocumque actu bono) habere in se imbibitum affectum quemdam, per modum desiderij illius actus; qui rectè explicatur per hæc verba: *utinam sit talis actus*, quod sic probabo. Deus per hoc decretum fertur in bonitatem actus, quam ipse ex intentione nostræ salutis ardentissimè desiderat, iuxta illud: *Deus vult omnes homines salvos fieri*; in qua voluntate virtualiter includitur voluntas bonorum operum, quibus salus est acquirenda, & quam Deus non absolute prædefinit, ut integrum sit voluntati posse liberè consentire; quod necessariò requiritur ad meritum: ergo fertur in bonitatem illius actus quatenus sibi placentem, quem ipse à voluntate elici desiderat: ergo ex vi talis actus habet Deus prædictum affectum bonitatis, in quam fertur decretum, quo voluntati ad illam eliciendam assistit.

37 Dicendum est septimò, assistentiam, qua omnipotentia assistit voluntati, ut possit odio habere Deum libertate contradictionis (idem dico de assistentia ad quemcumque actum)

actum malum) est decretum quoddam, quo Deus dicit, *volo ut quatenus est ex me non deficiat actus odij, ut iura voluntatis non infringam: quem actum vellem ego non produci à voluntate, quia malus est, & inhonestus*. Et hac de causa Trid. sess. 6. cap. 6. definit circa actus malos Deum tantum se habere permissivè. Per hoc decretum voluntatem constitui potentem liberè actum elicere, probatur eodem modo, ac probatum fuit in decreto antecedenti. Deinde, hoc decretum congruum esse diuinæ providentiæ, patet, quia per illud fertur Deus in actum malum, non propter ipsam malitiam sed propter adimplendum munus causæ primæ, cui incumbit cum omnibus causis secundis præsto adesse, ut ipsæ iuxta suam propensionem naturæ effectus producere valeant, & propter libertatem voluntatis conservandam: quod motum est iustum, & honestum Deo: ergo valde conforme diuinæ providentiæ.

38 Dicendum est octavo, decretum, quo omnipotentia constituitur assilens ad actum malum, habere in se imbitam, vel cōcomitantem displicentiam circa talem actum, propter malitiam, quæ est in ipso, & inhonestatem, quam habet respectu voluntatis, quæ displicentia rectè explicatur per hanc particulam: *utram non sit talis actus, cui faciendum liberum concursus paro voluntati*. Ratio huius displicentiæ assignanda est eadem, ac complacentiæ, constitutæ respectu actus boni. Quia Deus ex se odit peccatum, & ardentissime desiderat ne committatur à voluntate, & quasi coactus ad materiale illius concurrat, ut libertatem voluntatis obseruet indemnem: Ergo talis actus ex tali motu factus, virtualiter includit displicentiam obiecti, sicut actus, quo mercator merces in mare proicit necessitate coactus, ut saltem propriæ vitæ sit superstes, annexam habet displicentiam projectionis mercium in mare.

39 Probatur hæc conclusio simul cum præcedenti: quia ad diuinam providentiam spectat, ut adhuc, ut causa prima diverso modo, & ex diverso affectu concurrat ad actum virtutis, verbi gratia ad actum amoris, quo Beatissima Virgo ardentissime Deum diligebat, quam ad actum peccaminosum scilicet, quo Iudas vendidit Salvatorem. Hoc enim modo magis elucet amor Dei erga creaturas, & actui, quo cum illis concurret, tribuitur specialis honestas, quam non haberet, si non respiceret obiecta prædicto modo, sed tantum bonum actum, & malum ex intentione faciendi id, quod tenetur ex vi auctoris naturæ. Hac ratione impugno Soar, & Herice, & Doctores communiter asserentes, per eundem actum parare Deum concursum voluntati ad actum amoris, vel odij, decreto amorem, vel odium indivisibiliter respiciente, & eodem modo concurrere Deum, ut causam primam ad actum virtutis, & vitij.

40 Dicendum est nono, nullum dari decretum indifferens ad amorè, vel odium elicendum seu ad voluntatem liberè constituendam libertate contrarietatis. Probo hanc conclusionem: libertas contrarietatis nihil aliud dicit, quam libertatem ad duos actus contrarios: ergo eo ipso, quod voluntas sit libera ad duos actus contrarios, ad quemlibet libertate contradictionis, est libera libertate contrarietatis: sed per duo decreta à me assignata constituitur voluntas libera libertate contradictionis, ad duos actus contrarios: ergo constituitur libera libertate contrarietatis: ergo non est necessarium decretum aliud indifferens, idem indivisibiliter terminatum ad utrumque actum.

41 Dices necessarium non esse aliud decretum indifferens, suppositis his duobus à me assignatis: posse tamen vnum indifferens poni his duobus ablatis. Contrà: amor, & odium sunt duo obiecta, quodlibet ex se sufficiens terminare actum diuinæ voluntatis, & Deus diverso modo, saltem inadæquato, fertur in illa: ergo non eodemmet actu formaliter, sed diverso. Probatur antecedens: actus amoris habet ex se sufficientem bonitatem, ut independentem ab actu odij terminet voluntatem diuinam, etiamsi simul cum illa respiciat ad impletionem muneris auctoris naturæ: & in illum fertur Deus, quatenus est ex se, ut illum efficaciter decerneret, ni libertas esset voluntati servanda. In actum odij fertur Deus, non propter bonitatem aliquam, quam in illo inueniat, sed propter munus causæ primæ ad complendum tali modo, ut si tale munus Deo non incumberet, concursus ad odium detestaretur: ergo diverso modo fertur in actibus amoris, & odij: ergo diversis formaliter actibus.

42 Dicendum est decimo, quodlibet ex decretis à me assignatis per se formaliter constituere potentiam completè

potentem suum effectum produceres, quod ab illis separari non potest. Quia illis positus, iam est ex parte Dei quid requiritur, ut voluntas operetur, & hæc constitutio potentie adæquatè potentis, est quasi primarius effectus talium decretorum necessariò illis competens: effectus vero productus ab illis simul cum voluntate liberè cooperante, est secundarius, qui pro libertate voluntatis desicere, vel subsistere potest. Docet hanc conclusionem Herice disp. 6. de scient. c. 3. iam cit. & ex dictis evidenter inferitur.

43 Dicendum est undecimo, ad hoc, ut hæc decreta, quibus omnipotentia assilens causis creatis, libertatem illas relinquant, impertinenter se habere scientiam conditionatam: plurimum tamen hanc conducere, ut Deus excellentiori providentiæ hæc habeat decreta, & voluntatem liberè potentem operari constituat. Priorem partem huius conclusionis probavi contra Vasquez s. 2. secundum modò probò: quia ad perfectam providentiam spectat cognoscere, quid euenturum sit ex mediis, quæ applicantur ad aliquem finem, ut prævideatur quid mali, bonive ex applicatione talium mediorum sequatur, ne postea præter intentionem aliquid inopinatè contingat. Et ideo prudens quisque, antequam ad aliquid faciendum determinetur, attentè meditat, quid postea posita sua determinatione sit euenturum: ergo ad perfectam providentiam Dei spectat cognoscere, antequam suam applicet omnipotentiam, quid ex illa applicatione postea sit futurum: ut possit prævisio damno, vel commodo inferendo illam ponere, vel non ponere.

44 Contra hunc modum arguendi assilentiam omnipotentie causis liberis, vix potest aliquid obici, quod difficultatem contineat, quæ ex dictis facile non possit solui. Ex illo enim non sequitur, Deum confusè ferri in omnem effectum: sed distinctè in singulos; dependenter tamen à voluntate liberè operatura. Neque potest dici, Deum voluntati violentiam inferre: cum decretum determinationem voluntatis antecedens, indifferens sit, ut coniungatur cum actu, vel cum negatione illius. Neque est inconueniens asserere, decretum Dei hoc modo assignatum non habere effectum, quia Deus non absolute, & efficaciter decernit effectum producendum: sed dependenter à voluntate. Neque potest obici, Deum adhuc ut causam primam, eodem modo concurrere ad actum virtutis, & vitij. Quia iam assignavi diversum modum, quo decreta causæ primæ tendant in hæc obiecta actu essentialiter ad illa requisito, per modum causæ antecedentis: & postea de illis ex vi horum decretorum productis diversam providentiam habet Deus, quia virtutis actum respicit tanquam obiectum complacentiæ, & in ordine ad præmium: actum verò vitij tanquam obiectum displicentiæ, in ordine ad supplicium inferendum.

45 Vna tantum in hac resupersit difficultas. Quomodo possit Deus determinare indiuiduationem actus voluntatis determinantis se quoad specificationem, quam s. seq. explicabo. Circa materiam hoc puncto definitam legendi sunt Soar in Opuscul. 1. de concursu Dei cum voluntate, & in Metaph. disp. 22. sect. 4. ubi eruditè, & doctè hanc rem pertractat, & Ruissius tom. de scientia disp. 25. sect. 10. Mol. in concordia quæst. 14. art. 15. disp. 26. s. vi melius, & s. vi neuter, & disp. 32. s. primum, & secundum 1. part. quæst. 19. art. 3. disp. 3. s. boni consular: Lessius de gratia efficaci, cap. 4. num. 12. & 15. Qui omnes nobiscum sentiunt, decretum præcedens actum non habere necessariam connexionem cum obiecto: sed esse indifferens ad assensum, & negationem illius. Quam doctrinam apud Soar docent quàm plurimi ex antiquis, Greg. Gabr. Marf. Adam. Alm. Alenf. Capr. Contr. & Sotus. Quos omnes apud Soar citatos reperies, supra num. 14. & 16. Differt tamen nostra sententia ab his quas docent doctissimi auctores: quia nos non idem decretum constituimus indifferens ad amorem, & odium: sed duo diversa. Plerique autem ex relatis expressè affirmant, dari vnum decretum indifferens ad actus oppositos: & alij id non explicant: Deinde nos diversum modum tendendi damus per decretum causæ primæ in actum virtutis, & vitium, per diversa motiua.

S. V.

Quomodo Deus indiuiduationem actus liberi determinet.

Non leuem difficultatem leuiter ferè omnes attingunt: quomodo scilicet voluntas determinet se quoad speciem

specificationem actuum, & Deus indiuiduationem horum determinet. Communis est dicendi modus, voluntatem determinare se quoad specificationem, hoc est, non quoad rationem aliquam communem; hac enim incomprehensibilis est à singularibus distincta; sed ad hunc vel illum actum amoris, sub horum tantum disfunctione, quatenus distinguuntur ab actibus odij, ad quos non producendos voluntas est iam determinata, & hac determinatione præmissa Deum decernere inter illos actus amoris, ad quos voluntas erat indifferens, hanc præ aliis & in hoc sensu dici, Deum determinare indiuiduationem, & voluntati tribui speciei determinationem.

47 Hic philosophandi modus grauissimus, ac penè insolubilem continet difficultatem; quam expendo. Antequam Deus videat voluntatem determinatam per productionem huius numero actus amoris, nihil potest videre, in quo cognoscatur esse determinatam ad hos actus indiuiduos amoris sub disfunctione, potius quam ad actus odij, sed omnino Deus illam videt indifferentem ad actus amoris, & odij ergo non potest prævideri determinatio voluntatis quoad speciem, & ex hac prævisione determinare Deum indiuiduationem actus. Consequentia est legitima, antecedens probat. Deus non potest videre determinationem quoad specificationem voluntatis in ipsamet voluntate, neque aliquo principio præcedentem ipsam determinationem actuum; neque in ipsis actibus: ergo nullo modo. Probat priorem partem antecedentis; quidquid præcedit actum, est indifferens ad actus amoris & odij, & ad actus omnes amoris; & ad omissionem omnium: ergo in nullo præcedente tales actus, potest determinatio ad illos cognosci. Antecedens latè probatum est, & admittunt omnes non prædeterminantes, & adhuc illud isti negare absolute non audent. Consequentia est legitima; quidquid enim æquè est indifferens ad diuersa extrema, non magis ex se inclinatur ad vnum, quam ad aliud. Secundam partem antecedentis probat: determinatio non potest videri in ipsis actibus amoris, vt iam productis; quia non possunt videri, vt producti, nisi determinati, nihil enim est vagè, neque sub disfunctione productum. Neque omnes vniquam possunt videri producti; quia in illo priori præcedente determinationem indiuidui, nullus est productus, & in signo posteriori vnus tantum est producendus. Non in illis, vt possibilibus, quia æquè sunt possibiles actus amoris, & actus odij; nullus enim illorum ex se repugnat, & voluntas ex se potens est omnes producere: ergo neque in ipsis actibus, neque in principio illorum potest Deus videre determinationem voluntatis, quoad specificationem, quovsq; illam videat quoad indiuiduationem per productionem huius numero actus determinatam.

48 Hæc difficultatis quemcumque supradictam tenentem viam, maxime operè anget. Quapropter laxiorem aliam, & faciliorem tento, quam apud Soar reperiō sect. 4. citata n. 35. Affero, non prævidere Deum voluntatem determinatam quoad specificationem, antequam illam quoad indiuiduationem determinet; neque illam determinare quoad indiuiduationem hanc huius tantum speciei, exercendam independentem à sua voluntate; sed ante omnem determinationem voluntatis per præparationem concursus ad hunc numero actum amoris, & non alium; & ad hunc numero actum odij, & non alium, illam determinari; vt ex suppositione, quod sit amatura hunc numero actum amoris, quem tantum intra hanc speciem elicere potest, eliciat; & ex suppositione, quod sit odio habitura, hoc tantum eliciat numero odium, quod tantum producere valeat. An verò amorem, vel odium productura sit, penes illius voluntatem remanet, Deus enim per assistentiam suæ omnipotentia reliquit illam indifferentiam ad actum amoris A, & actum odij B, producendos vel omittendos, ad alios verò neque potentem completè illam conditum.

49 Hac ratione rectè intelligitur quomodo Deus adhuc non sit causa per se, vt sit potius hoc numero peccatum, quam illud: sed tantum per accidens, quatenus non constituit voluntatem liberam ad producendum aliud ab isto distinctum. Quo modo Deus determinat quoad indiuiduationem, & non quoad specificationem, etiam si, quando Deus determinat quoad indiuiduationem, non supponatur determinatio, quoad specificationem, quia non determinat quoad vnā indiuiduationem; sed ad duas diuersarum specierum; inter quas voluntas per productionem

Franc. de Guiedo, Philosoph. Tom. 1.

actus secundi, se determinat ad hanc huius speciei: & dicimus, se quoad speciem determinare.

50 Ex hac doctrina inferitur iuxta dicta, non prius se determinare voluntatem quoad speciem, & postea illam Deum determinare quoad indiuiduationem; sed è contra, prius determinari quoad indiuiduationem non absolute, sed ex suppositione, quod velit actum talis speciei elicere, & ad indiuiduum illius speciei, non absolute, sed ex prædicta suppositione. Inferitur similiter, hanc determinationem quoad indiuiduationem, quam Deus exhibet, esse antecedentem ad omnem determinationem voluntatis. Si quidem nullam supponit, & nullo modo lædere libertatem; quia non est absoluta; sed ex suppositione, quod voluntas velit operari intra hanc speciem, & illam relinquit indifferentem, vt amet, vel non amet, seu odio habeat. Infero vltimò, prædicto modo non per se, sed per accidens Deum posse determinare quoad speciem, & quoad indiuiduum, semper dependenter à voluntate libere volente illud producere, non solum inter species diuersas peccati ad grauiorem speciem peccati, sed etiam inter duplicem speciem alteram peccati, alteram virtutis, ad speciem peccati. Ratio est clara; quia posita cogitatione alliciente ad amorem Dei, & posita alia cogitatione inclinante ad odium Dei, ex vi quarum voluntas potest amare, vel odio habere, seu ab vtroque actu cessare: potest Deus pro sua libertate negare generalem concursum causæ primæ ad amorem, & illum offerre ad odium: quo voluntas erit libera ad odio habendum, vel non habendum; & impotens amorem elicere, & consequenter ex vi concursus causæ primæ, licet sit indifferens inter odium, & non odium, determinata erit inter odium, & amorem. Nam ex suppositione, quod sit elicitura amor, vel odium, cum non possit amorem producere, necessariò tenetur in odium prorumpere, neque idè Deum illam determinat ad peccandum, cum illi relinquit indifferentiam, vt possit elicere, & non elicere actum odij.

CONTROVERSIA XI. De causa finali, & exemplari.

NILVM est agens, quantumvis rationis expers, cuius operationibus non sit à natura finis præfixus, in quem tendunt, & ordinantur; lapis enim semper grauitat, vt destinatum finem, proprium videlicet centrum acquirit; leuia corpora eodem imperu sursum euolant, nulli que patiuntur obstaculis detineri, ne proprio careant centro, in quod suum rapidissimum motum dirigunt. Si in hunc sensum finalis causa vsurpetur, nullos habet suæ latitudinis terminos. Idè non de fine secundum hanc acceptionem nobis est disputatio constituenda; sed de fine, seu causa finali, quæ per sui representationem mouet principium cognoscituum, & appetituum, illudque ad sui amorem rapit, & ad sui prosecutionem inclinatur, atque determinatur.

PUNCTVM PRIMVM.

Quid, & quonplex sit finis?

Definita fuit à Philosopho causa finalis, desumpta in sensu à nobis explicato, in 2. lib. cap. 3. text. 39. his verbis, *id cuius gratia, vt deambulandi sanitas*. Clarius 2. Metaph. text. 8. inquit idem Arist. *Finis est, cuius gratia cetera sunt*. Sibi semper constans, lib. 1. de generat. text. 55. postquam dixerat agens ad causam efficientem spectare, de fine annectit. *Cuius autem gratia cetera sunt, actiua non est*: ac si diceret, finalis causa vtens definitione loco definiti, non est actiua. Eodem modo loquitur text. 80. & lib. 1. & hic cap. 7. quibus locis innuitur finem propter se amari, & omnia propter ipsum. Ex his Philosophi locis desumpta est definitio, quæ vulgo circumfertur: *Finis est, cuius gratia cetera sunt*; ipse verò nullius gratia. Posterior definitionis pars prioris est explicatio: si enim omnia sunt propter finem, certum est ipsum